

quae de LIBERTINIS g) supra diximus, si illius memores esse uelimus, quod de *Seſtariis* h) differuimus, ubi, PAVLO testante, probauimus primos Christianos a Iudaeorum et Gentilium DOCTORIBVS pro *Seſtariis* habitos esse; si denique haec cum iis, quae de hominibus ad *testimonium* ferendum ineptis dicta sunt, apte coniungamus, Iudaeorum Iudices malitiae ac iniuriae erga MARTYREM nostrum reos esse arbitrabimur. Nam Senatum magnum non ea de causa conuocabant, ut ueritas erueretur, alias immemores non fuissent legis illius, secundum quam pii maiores SERVOS una cum LIBERTINIS, et INIMICIS accusati a *testimonio* ferendo in casu maxime capitali coerendos esse sanxerunt; et *testimonium* illorum de iustissimo homine, ut ineptum et illegitimum reiecissent. Sed quemadmodum MATTHAEO i) docente *Pharisei cogitarunt, ut consilium de CHRISTO uerbis irretiendo caperent*: sic etiam causam hoc loco quaerebant, propter quam STEPHANVM, quem in conatibus malis aduersarium metuebant, reum criminis *blasphemiae* et *falsae prophetiae* accusatum supplicio multare possent.

§. VII

INNOCENTIA REI ET A CANDIDATIS SY-
NEDRII ET AB IP SO REO DEMON-
STRARI POTERAT

Diu multumque inter eruditos, et antiquitatum Iudaicarum maxime peritos disceptatum est, numne discrimen *Synedrium magnum* inter, et

G 3

Aca.

g) uid. hui. Diss. §. I. pag. 9. seqq.

h) in eodem paragrapho, pag. 6.

i) Cap. XXII. vers. 15.